

peditos paratosque experimur , quod uno eodemque tempore , & Patriæ consulimus , & veritati litamus . Adeo nanque perspicua historiæ monumenta nobis suppetunt , ad rem nostram defendendam , ut quicunque illis opposita scribere ausi fuerint , eadem publicasse erubescant . Attamen , etsi pro domo nostra scribamus , nouimus profecto , ut nobis fides , absque ratione , reddatur ; nec intendimus , ut a quovis credantur quæcunque asserimus , nisi ad veritatis criterium probata comperiantur . Qui vero legent , si partium studiis detentos sese fortassis deprehendent , illos rogamus , ut antea privatarum affectionum præjudicia deponant , & deinde pro veritate , sincero quidem liberoque judicio , iudicabunt .

Cæterum adeo proclive est hominum ingenium ad detrahendum , ut cuique nationi , suum stigma , nescimus , an licentius , vel injustius , impositum , facile sit adinvenire . Si Brutii nostri Romanis infesti dicti sunt , Galli proclamati fuere infestissimi ; adeout Marcus Cato , oratione apud Salustium , de bello Catilinæ , Gallorum gentem dicere non dubitaverit , *Gentem Romano nomini infestissimam* . Si contra Romanam Rempublicam Brutii aliquando arma tractarunt , in iisdem tractandis adeo Galli pertinaces fuerunt , ut Romæ lex lata dicatur , qua-

Sa-